



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput XVIII. De dilectione inimicorum, necnon de bello, & monomachia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

inopiâ. Idem asserendum de iis, qui voto paupertatis sese obstrinxerunt: in quibus tamen animadvertendum est cedere quidquid acquirunt in jura communitalis. Distribuendum autem est quod superest, ex cap. 111. Lucæ 11. & xi. 41. at non quod superest cupiditati, & avaritiæ, cui nihil superest; nunquam enim impletur avaritiæ cupido, ut inquit cap. v. 9. Ecclesiastes. Quærendum igitur quod sufficiat operi Dei, non quod sufficiat cupiditati, ut inveniantur superflua pauperibus eroganda, juxta Augustini præceptionem in Psalmum cxlviii. n. 12. Quidquid possidetur mala fide, aut furto, aut vitioso ludo comparatum, clamat ad Dominum; neque potest pauperibus erogari: nam scriptum est, Tob. iv. 7. *Ex substantia tua fac elemosynam*; & Prov. 111. 9. *Honora Dominum de tua substantia*. Falluntur ergo qui ad pecuniam iniquitate acquisitam referunt ea verba Lucæ xvi. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*; nam eo sensu *mammona iniquitatis* dictum est, quo *dextera iniquitatis*, cap. præcedenti: quia nempe divitias hujus sæculi habent etiam iniqui. Ita Augustinus serm. 41. num. 6. & 49. num. 11. aut quia umbræ divitiarum sunt, non veræ divitiæ, & in illis soli iniqui constituent spem; atque copiam beatitudinis suæ; inquit idem Augustinus lib. 2. qq.

Evang. q. 34. Demum eroganda est elemosyna pauperibus etiam improbis, neque avertenda facies ab ullo pauperum, ut inquit eodem loco Tobias; at quoniam *multam malitiam docuit otiositas*, auctore Ecclesiast. xxxi. 11. 28. contingere potest, ut melius sit erroneos in operationem mittere, quam fovere beneficiis acediam.

Eleemosynarum ordo est, ut prius quisque sibi victum, & vestitum provideat *sufficientem ac mediocrem*, non deliciosum ac pomposum: deinde parentibus, si pauperes sint, quantum prævalet, largiatur: postea servos, & ancillas nec esurire, nec algere permittat: posthac quidquid, excepto mediocri, & congruo victu, & vestitu, sive de militia, sive de agricultura, sive aliunde provenierit, tanquam Christo petenti, & esurienti, pauperibus humiliter, hilari vultu, ac profusa beneficentia distribuat; eo quidem fine, ut orationes ejus exaudiantur, vita commutetur in melius, deleantur mala præterita, adveniatque sempiterna felicitas. Hæc ex Augustino epist. 243. num. 12. serm. 39. num. 6. & lib. 2. de serm. Domini in M. cap. 2. quibus & charitas erga proximum, & hujus charitatis ordo explicatur, *brevissimis testimoniis, sed nisi fallor, idoneis, & quibus suscepta rei satisfiat*. De morib. Eccl. Cath. cap. xxvi. num. 50.

CAPUT XVIII.

De dilectione inimicorum, necnon de bello, & monomachia.

SUMMARIUM.

1. Præceptum est diligere inimicos.
2. Obiectio, & solutio.
3. Tria requisita ad iustum bellum.
4. Propositio I. Demonstratur.

5. & 6. Objectiones, & Solutiones.
7. Propositio 2. Probatur.
8. Obiectio & Solutio.

I.
Præceptum
est diligere
inimicos.

INIMICORUM quoque dilectionem esse in præcepto, liquet ex Matth. v. 44. ubi Scribis interpretantibus versum 18. cap. xix. Levitici, *Diliges amicum tuum sicut te ipsum*, de solis Judæis, ac sibi sanguine ac progenie conjunctis, ait Christus, *Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros*: non novam legem ferens, sed interpretans veterem, in qua præscriptam etiam dilectionem inimicorum, haud obscure colligitur ex cap. xxiii. 5. ubi præcipitur sublevandum & asinum odientis jacentem sub onere. Infertur eadem inimicorum dilectio ex Matth. vi. 12. ubi

oratione dominica petitur debitorum dimissio ea pactione, ut pariter homo dimittat injurias odio habentibus. Eandem urgent Paulus ad Rom. xii. 17. ac Petrus in priori Epistola, 111. 9. Patres, ac Theologi omnes, docentes teneri nos ad exhibenda hostibus communia dilectionis officia; cum externa salutationum, hortationum, elemosynarum; tum interna affectus, compassionis, & precum. Quod & rationi consentaneum est, quia habent nobiscum communem naturam, quia eodem pretio redempti sunt, quia eandem hereditatem expectant.

Si

2.
Objectio &
ſolutio.

Si forte obijcias, præcepiſſe Domi-
num Deut. xx. 17. ut Hebræi omnes
hoſtes in ore gladii interficerent, ne-
que foedus cum Amalecitis unquam ini-
rent. Eſt in promptu reſponſio, quod
bellum erat adverſus idololatrias, quos
Dominus juſſerat delendos, Amalecitas
quidem, quod populum Iſrael profici-
ſcentem in terram Chanaan injuſto bel-
lo laceſſerent; Amorrhæos, aliosque
idololatrias, quod abominationes Deo-
rum ſuorum promoverent. Neque enim
charitati repugnat gerere juſtum bel-
lum, præſertim ſi interſit religio, &
& reipublicæ cauſa; ſed charitas, quæ
præcipit ut diligatur inimicus, præſeri-
bit etiam, ut majus bonum præſera-
tur minori. Quare de bello hic brevi-
ter acturi ſumus, maxime quod illicitum
dixerint Manichæi, Anabaptiſtæ,
atque Eraſmus: quos reſellunt cum
omnibus Theologis Bellarminus Contro-
verſia v. lib. 111. cap. 14. Eſtius in 3.
diſt. 37. §. 20. Lupus de antiq. diſc.
Chriſt. milit. Stephanus Valentinus de
Juſto Bello, Abulenſis in Deuter. nec
non Hugo Grotius de Jure belli & pacis
lib. 1. cap. 2. At hic videtur nobis pin-
gere virtutem Gentilium, dum probat
licitum eſſe tractare arma, ex quo prin-
cipium juſti ſit ſtudere propriæ conſer-
vationi: ac oratorem agere, non phi-
loſophum, dum argumentum petit ex
armis brutorum, tot poetarum accitis
teſtimoniis. Bruta enim utuntur armis,
quia ratione carent, nec homini fas eſt
vim adhibere, ſi hoſtem compeſcere
poſſit ratione. Imo & Gentiles vitam
profuderunt pro incolumitate Reipubli-
cæ, quo titulo laudantur; tametiſi fue-
rit hæc virtus inanis, & gloriæ cupi-
ditate marceſcens. Hinc merito Gro-
tius in pluribus à Joanne Feldeno re-
ſellitur.

3.
Tria requi-
ſita ad ju-
ſtum bellum.

Prænotandum eſt autem tria ad ju-
ſtum bellum requiri, legitimam aucto-
ritatem, ordinem æquitatis, ac rectitu-
dinem intentionis. Adeſt legitima au-
toritas, dum bellum ſuſcipitur, ſive
Deo; ſive aliquo legitimo imperio ju-
bente, inquit S. P. Auguſt. lib. 22. con-
tra Fauſtum cap. 74. & cap. proximo,
*Suſcipiendi bellum auctoritas atque con-
ſilium penes principem ſit.* Eſt ordo
æquitatis, ſive juſta cauſa, dum bel-
lum geritur, *vel ad terrendam, vel ad
obterendam, vel ad ſubjugandam mor-
talium ſuperbiam,* inquit eo loci Augu-
ſtinus, id eſt, dum homines impii aut
Religionem perturbant, aut contra mo-
res peccant, aut patriam libertatem in-
vadunt, nec poſſunt ratione frenari, ut
R. P. Berti Theol. Tom. IV.

explicat Reginaldus Polus S. R. E. Car-
din. in Epiſt. ad Philippum Angliæ Re-
gem ſcripta, dum huic Julius III. R. P.
enſem ac pileum dono mitteret, nec-
non Oratione habita in funere Nannis
Strozze vir eloquentiſſimus Leonardus
Aretinus. Rectus finis eſt, *ſi totum
bellum agit ratio, & nihil ſibi vindicet
furor,* ut inquit Hugo Floriacenſis in
Miſeel. Baluz. lib. iv. pag. 42. ſcilicet,
ſi nequaquam interſit *nocendi cupiditas,
ulciſcendi crudelitas, impacatus atque
implacabilis animus, feritas rebellandi,
libido dominandi,* ait S. P. Auguſt. cit.
cap. 74. & Cap. *Quid culpatur,* xiii.
quaſt. 1. ſed pugnatur pacis ſtudio, ut
mali coerceantur, ac boni ſubleventur,
ut docet idem Auguſt. Epiſt. 189. n. 6.
& Cap. *Apud veros,* citata Cauſa xiii.

PROPOSITIO I. Dummodo interſint
hæ conditiones, fas eſt Chriſtianis bel-
lum gerere.

Demonſtratur primo. Niſi enim bel-
lum eſſet aliquando licitum, nunquam
Deus bellandi jura præſcripiſſet; neque
bellatores viri in ſacris libris, atque ab
Eccleſiæ Patribus ſummis laudibus co-
honeſtarentur; ſed eſſet Deus veteris
Teſtamenti auctor diſſenſionis, ac ma-
lus: Moyſes vero, Joſue, Gedeon,
Macchabæi, alique fortiffimi viri im-
probi, ac ſceleſtiſſimi. At ipſe Deus
Deut. xx. bellandi præſcripſit leges; &
qui adverſus hoſtes ſalva æquitate præ-
liarunt, commendantur ab Eccleſiaſti-
co 46. ab Apoſtolo ad Hebræos 11. ab
Ambroſio lib. 1. de Officiis cap. 4. at-
que ab Auguſtino citato libro xxi. ad-
verſus Manichæorum criminationes vin-
dicantur. Licitum eſt ergo, & ali-
quando neceſſarium cum hoſtibus dimi-
care. II. Ne quis putet aliud in Evan-
gelica lege, aliud in veteri fuiſſe jus
belli; Lex Moyſis in iis, quæ cum le-
ge naturæ habet communia, ac ſpectant
ad civicam pacem, tutelam populi, &
improborum vindictam, viget adhuc;
ideoque ut Moyſes Amalecitas multitu-
dini vim inferentes, ut Joſue Amorr-
hæos, Jephthe Ammonitas, Samſon
& David Philiſthæos oppugnarunt; fas
nunc erit Chriſtianis principibus infide-
les aggredi, hoſtes pellere, tumultua-
rios compeſcere. III. Joannes Lucæ 111.
14. interrogantibus eum militibus, quid
iſtis agendum eſſet, *quia ſciebat,* in-
quit Auguſtinus cit. cap. 47. *non eſſe
bomicidas, ſed miniſtros legis, non ul-
tores injuriarum ſuarum, ſed ſalutis
publicæ defenſores,* non reſpondit, *Ar-
ma abjicite, militiam iſtam deſerite, ne-
minem percutite, vulnerate, proſternite.*

U u 2

nemi-

neminem: sed inquit, *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.* Christus pariter Centurionis dicentis Ma th. viii. 9. *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, &c.* ut ibidem S. Augustinus animadvertit, *fidem laudavit, non illius militiæ desertionem imperavit,* Idem contigisse Cornelio liquet Act. cap. 10. Joannes ergo, Apostoli, Christus militiam non prohibuerunt. IV. Finis præcepti non est res illicita, sed provehens communem utilitatem charitas. At Christus præcepit Matth. xxii. 21. ut tributaendantur Cæsari; & idcirco tributa præstantur, quoniam principes ministri Dei sunt, & gladium portant tanquam vindices in iram iis, qui malum agunt, auctore Apostolo ad Rom. xiii. 4. 6. Unde Augustinus ibidem, *Ad hoc enim tributa præstantur (inquit) ut propter bella militi stipendium præbeatur.* Bellare ergo fas est, alioqui injustum foret tributa & vectigalia persolvere. V. Nunquam ab Ecclesia ob solam militiam fuerunt fideles rejecti, ac objurgati; sed militibus baptismum petentibus hoc injunctum tantummodo, ut ab immolationibus & vexationibus abstinerent suis contenti stipendiis. Vide Apostolic. Constit. lib. viii. cap. 32. Militasse in castris Decii, Valeriani, Maximiani, Licinii Christianos milites probatissimos, nec cingulum abdicasse, nisi ubi trahebantur ad simulacra, narrat Sanctorum Acta. Precibus Christianorum militum sub Aureliano Imperatore impetratum imbrem, narrat in Apolog. Tertullianus. A Romanis Pontificibus solemniter benedici enses, & dono mitti Imperatoribus militum, constat ex 2. p. Pontif. IV. Tandem ipse charitatis ordo aliquando postulat, ut bellum geratur: primum, quia iustissimæ rationis imperium est scelerosos punire; ut docet S. Pater lib. 1. de Civit. Dei cap. 21. potest autem contingere, ut nisi armis arceantur, conveniant prædonum manus, irruatque scelerum omnium illuvies. Deinde etiam hostibus aliquando consulitur infestis pugnis: quia *debilitata membra, quibus non bene utebantur, cessabunt à malo opere:* cap. Si quis, xxiii. q. 2. Denique sine hostium everfione haberi nequit Reipublicæ salus, & civium tranquillitas: ideoque dum pacem habet voluntas, indicit bellum necessitas, ac servata æquitate pugnatur, ut *liberet Deus à necessitate, & conservet in pace,* inquit S. Pater in Epist. ad Bonifacium Comitem 189. alias 205. n. 6.

Opponunt adversarii I. quod lex Christiana præcipit ne resistamus malis, Objectiones. Matt. v. 39. ne malum pro malo reddamus, ad Rom. xii. 17. ne militemus secundum carnem, 2. ad Corinth. x. 3. ne sit nobis adversus carnem & sanguinem colluctatio, ad Ephes. vi. 12. II. Quod nobis imitanda sit Christi mansuetudo, & implendum sub Evangelio propheticum vaticinium Esaie 11. 4. *Constabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.* III. Quod 12. Canone Nicæno indicta sit decem annorum pœnitentia iis, qui deposito militari cingulo redeunt ad militiam. IV. quod Patres bella damnent tanquam cædium, rapinarum, omniumque flagitiorum diluvium.

Sunt hæc omnia facillimæ expeditionis. Ad primum enim respondemus Solutiones. Mat. v. & ad Rom. xii. prohiberi privatam vindictam, non bellum susceptum legitima auctoritate imperante: in 2. autem ad Corinthios nobis præcipitur, ne vivamus secundum desideria carnis, & more politicorum; ac in Epistola ad Ephesios admonemur graviora esse certamina, quæ nobis sunt cum immundis spiritibus, quam pugnae adversus homines, ut recte Augustinus serm. viii. de Verbis Dom. nunc 67. num. 4. & Prudentius in Hamartigenia. Ad 2. respondemus non adversari Christianæ mansuetudini inire pugnam, dum pacem habet bona voluntas, bellum necessitas; & dum bellando expugnentur iniqui, ut victi ad pacis utilitatem perducantur: quemadmodum non opponebatur Christi mansuetudini percutere templi profanatores texto è funibus flagello, nec Apostolis spiritualibus armis ense quolibet severioribus punire Ananiam, Simonem, Elimam, Corinthium incesti reum, Hymenæum, Alexandrum; cum salus totius corporis magis curetur, dum putrida membra secantur, ubi nullum prodest vulneribus medicamentum. Esaias vero prædixerat tempus nativitatis Christi, qui natus est imperante Augusto, clauso Jano, ac toto orbe in pace composito: quamquam & in lege Evangelica pax illa regnat, ubi omnes Christiane vivunt projecta invidentia, ac perniciofa cupiditate. Ad 3. dico Imperatores idolorum cultores, milites qui nollent Diis sacrificare, militari cingulo ignominie causa exuisse; unde in sacra historia legimus pro Christo cingulum abjecisse sub Diocletiano in Armenia milites mciiv. sub Licinio Arfacium, & Auxentium, & sub Juliano Apostata Victricium, &

& Valentinianum poſtea Imperatorem, à D. Ambroſio funebri præconio condecoratum, alioſque ab Euſebio, ac Theodoroſo laudatos. Qui ergo cingulum ſemel abjecerant, ad militiam reduntes videbantur probare cultum idolorum. Adde cum eximio Lupo ad præcitatum canonem, duplex fuiſſe militiæ genus, ſuperioris, cui erat neceſſitas immolationis, & inferioris, quam Tertullianus lib. de Idololatria cap. 14. appellat *caligatam*, & canonem latum eſſe adverſus priorem. Præterea à poenitentibus, & à Clericis ſeverior exigebatur diſciplina, ab illis ad aliorum terrorem, ab iſtis vero ad exemplum. Ad poſtremum reſpondeo utique è bello derivare multiplices clades, dirasque neceſſitates; ſed iniquitas partis adverſæ, etiam dolenda, ſi nulla ex ea bellandi neceſſitas naſceretur, *juſta bella ingerit gerenda ſapienti*, ut inquit S. Pater XIX. de Civ. Dei cap. 7. quare Patres damnant iniquitates quæ bellum pariunt, non bellum quod geritur ut iniquitas puniatur, ut pax acquiratur, ut genus humanum vexationes non patiatur.

7.
Propoſitio.

Probatur.

PROPOSITIO II. Illicita eſt monomachia, ſive initum ex condicito ſingulare certamen.
Probatur, quoniam Tridentinum Concilium ſeſſ. 25. cap. 19. declarat deſtabilem duellorum uſum fabricante diabolo fuiſſe introductum, ut cruenta corporum morte animarum quoque perniciem lucraretur: provocantes autem, & ineuntes plectit excommunicationis poena, perpetua infamia, proſcriptione bonorum, & ſi moriantur in pugna, Eccleſiaſtica ſepultura. Idem decreverunt ſummi Pontifices Pius IV. Gregorius XIII. Clemens VIII. Etiam Alex. VII. proſcripſit illam propoſitionem: *Vir equeſtris ad duellum provocatus poſteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Idem demonſtrat

evidens ratio; nam ſi duellum inſtituitur ad oſtentationem virium, deſteſtabilis ſuperbia eſt, & immanis crudelitas haud honeſtior flagitioſo gladiatorum congreſſu: ſi ad notam timiditatis vitandam, eſt ſingularis dementia ac temeritas, ob improborum exiſtimationem præſentis, ac ſempiternæ vitæ inire periculum; necnon imprudens rerum dijudicatio fortitudinis præſtantiam in corporis viribus, non in virtute animi conſtituere, cum illæ brutis, barbaris, que hominibus ſint communes; hæc propria rationalium, honeſtiſſimorum, que virorum: ſi denique ſingularis pugna ſuſcipiatur honoris cauſa, cum honor vitæ hominis non debeat æquiparari, niſi ſit verus honor ſitus in vitæ honeſtate, virtutiſque decore; extrema ſtulticia eſt ob famam ſterilem atque inanem corpus & animam devovere. Hæc tamen non tenent, ſi ad finem imponendum truci bello, ex condicito utriusque partis, aut duo, aut plures decertent monomachia; tunc enim non temere, ſed jufſu legitime poteſtatis pugnatur, ac propria vita non proſterili fama, vel inani oſtentatione proſunditur, ſed pro reipublicæ incolumitate, & communi ſalute. At de his plura qui data opera moralem Theologiam exornarunt.

Si objicias in Religione Equitum D. Jacobi in Hiſpania celeberrima, & S. Sedis approbatione confirmata, exigi à candidatis juramentum, quod nunquam recuſarint ſingulare certamen; reſpondet Andreas Mendo diſquiſit. III. q. 2. num. 16. non ejici à nobiliſſimorum Equitum numero, qui recuſarit duellum, ne Deum offenderet; ſed qui id egerit præſeferendo timiditatem, & commonſtrando ſe ad pugnam vel pro religione, vel pro Regni tranquillitate ineundam nequaquam idoneum eſſe.

8.
Objeſtio &
Solutio.

C A P U T XIX.

An violeſtur charitatis præceptum, ſi occidatur vitæ injuſtus aggreſſor.

S U M M A R I U M.

1. An liceat occidere injuſtum vitæ aggreſſorem auctores pro - & contra notantur.
2. In quo conſiſtat moderamen inculpatæ tutelæ.
3. Ordo charitatis requirit ordinatam dilectionem.
4. Propoſitio probatur ex S. Scriptura.
5. & 6. Solutio objeſtionum.
7. 8. & 9. Probatur ulterius propoſitio.
10. Noxia cupiditas facit illicitam occiſionem graſſatoris.
11. Ulciſcendi libido facit illicitam occiſionem.
12. Non licet aggreſſorem occidere inhærendo amore vitæ, corporis, & huic poſthabendo proximum.
13. Argumenta ſui retunduntur.
14. Non licet ex ira aggreſſorem proſternere, nec vitæ deſenſionem, ſed alterius mortem intendere.
15. Uſque 23. Objeſtionum ſolutio.

U u 3

Q U A M